



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Ivstvs & Pastor MM. 6. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

rate illecta ipsa capitur; simul amoribus nuntium mittit, simul Christo totam se dedit, exemploque suo mox matrem Hilariam & scelerum auperlocias tres ancillulas trahit. Tantum odor castus unius Narcissi poruit! Doluit sanè hoc nequam genio, qui propalam visendus multis questus est animam olim suam AFRAM sibi extorqueri. Hæc interea opes malè partas benè inter pauperes dividens, vitamque veterem castissimis coloribus emendans, jubetur à prætorè Cajo, misso Christo, ad Veneris sacra redire, Vulcano, ni pareat, sacrificanda. Maluit hujus quàm illius ignes ferre. Itaque palo alligata cum è pyrâ ardente fumos demonis æstusque Cupidinis risisset flammam inter cælo se intulit, quòd mox mater etiam & ternæ famulæ, quòd lacrymas rogo & tumulto AFRÆ affudissent, alio ex rogo evolarunt. Ipsa Venus putamirabatur ad tot ignes frigere sese. *Ex Surio.*

Dum carnalis vita corrigitur, & usque ad abstinentiam atque orationis studium pervenitur, quæ jam in altari caro incenditur, ut inde in omnipotentis DEI sacrificium redeat. Greg. in Moralib.

SS. IVSTVS & PASTOR MM.
6. Augusti.

IVSTVM & PASTOREM germanos fratres: duos sidera, Castorem & Pollucem dicerem, nisi feliciori forte unà uterque è cælo adolescentia præluceret. Involverat velut turbo omnem Hispaniam furor Daciani, & Complutum jam pervenerat; cum hi pueruli, abjectis ultro tabellis ludo literario in campum prodire properarent, factis ostensuri, quantum in Christianâ Philo-

phiâ profecissent. Dixisses ad gremium matris currere, ita ad carnificum manipulos parili cursu contendebant. Dacianus ubi hæc inaudiit, virgis cædi imperavit. Sed illi ad imbellem scholæ metum ridere scilicet; supplicia hæc timidæ ætatis dicere, quæ sæpè nec pueris lacrymas excuterent. Alia itaque tormenta promeret, Tyranno digna, & cum ijs rem sibi cogitaret, qui prætextam cum superstitione jam posuissent. Et verò victoriam jam tum desperans Dacianus, non admissos educi extra urbem ad supplicium iussit. Illi in amplexu ruere, novo more frater fratri mortem gratulari; hoc demum Christianæ Philosophiæ esse, mortem pro Christo contemnere; hoc germani fratris, germano immori, nec fatis disjungi, quos uterus matris junxisset. Ita animosi, & pleni, quæ in vultum etiam promicabat, lætitiâ, caput securi subdidit. Age nunc, quid ad hos discipulos Complutum, vel ipse Cordubensis Philosophus? Certè Dacianus quamprimum aliò se contulit, non ausus porro cum viris congedi, tam turpiter à pueris victus. *Ex Baron. & Lippeloo.*

Si vires tua in pugnando sint parvæ, Christum invoca adjutorem. Cum te perspexerit fideliter invocantem, qui pro te pependit in ligno, & hic victoriam, & coronam victoria preparabit in calo. S. Aug. l. de symb.

S. ALBERTVS C. 7. Augusti.

Etiam ALBERTI splendorem prævia ab utero matris lux indicavit. Et rectius MARIAE quàm huius filium dixeris; quippe quem sterili eâ lege illa dedit, ut bonâ fide suo servitio olim hæc redderet. Moram ipsis, quibus jungere se ALBERTVS parabat, Carmelitis quos vocant, interponentibus

R

gravitez